



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Vbi reditus non suffecerint, quid agendum. 5

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

fias Parochiales aut suis Ecclesiis vel Monasteriis unitas habent, aut regendas aliis committunt, aut presentando committi procurant; adeo interdum omnem proventum emungunt, ut residui reditus, qui Rectoribus Ecclesiarum permittuntur, nimis tenues sint & exiles. Quamobrem Nostræ curæ erit, ut tanta portio Rectoribus istis assignetur, unde jura Episcopalia solvere & congruam sustentationem habere possint.

CAP. V. *Vbi reditus non suffecerint, quid agendum.*

Ex Viennensi Concilio Clem. si una.

Vbi verò reditus Ecclesiarum non suffecerint, iuris consilium sequendum putamus; nempe ut duæ uniantur; aut, si id grave videbitur, saltem una aut plures etiam Vicariæ, quæ ad Altaria in ejusmodi Ecclesiis fundatæ sunt, ipsi Ecclesiæ Parochiali (ut vocant) incorporentur; sic tamen, ut, quoad fieri potest, per Parochum, Officium, ob quod Vicariæ illæ fundatæ sunt, minime negligatur. Porro, Decimas potissimum Parochis ac Ecclesiæ ministris deberi, non dubium est. Nunc, quum illæ passim à Laicis magna ex parte usurpentur, neque facile ex eorum manibus divelli possint; videndum, num diligenti cohortatione, aut alia via, Iuri consentanea, Parocho, cui Ecclesiæ reditus ad victum non sufficiunt, hinc aliquid emendicari possit.

CAP. VI. *Denarius consuetus, sed duplicatus, pendendus.*

Postremo loco, justum ac decens putamus, ut singuli Parochiani denarium illum con-

suetum, sed duplicatum, saltem in anno quater, videlicet in festis illis majoribus, veluti in Natali Dominico, Paschate, Pentecoste, Assumptioneque Virginis gloriosæ, id est, singulis festis duos denarios Parocho pendant. Neque enim, tantillum offerre, ulli onerosum esse aut videri potest. Quis enim tam fordidus est, qui non æquum putet, modicum quid caduci ac temporalis subministrare illi, à quo spiritualia ac æterna vicissim repetit? Certe omnes scire debent, eos, qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edere; & qui Altario deseruiunt, cum Altario participare. Nam & Dominus ordinavit his, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Qui se unica solutione (quæ uno Albo Rotato fiet) liberare volet, id ipsi liberum esto. Ne verò Parochus aut in contentionem aut suspicionem trahatur, potius hæc pecunia per Ecclesiæ œconomos, aut alios probatæ fidei viros, colligetur, ac ipsi Parocho numerabitur.

I Cor. 9.

CAP. VII. *Laudabilem consuetudinem Agrippinæ Colonie per hæc non abrogari.*

Laudabilem tamen consuetudinem in Civitate Nostra Colonienſi erga sanctam Ecclesiam, pia devotione fidelium introductam, per has Nostras Synodales Constitutiones nolumus immutare, donec ipsis Parochis intra eandem Civitatem de sufficientiori victu fuerit provisum.

P A R S N O N A.

CAP. I. *De constitutionibus ac consuetudinibus Ecclesiasticis.*

DE constitutionibus humanis, ac Ecclesiasticis consuetudinibus, magna in presentiarum in Ecclesia Dei concertatio est; quam Ecclesiæ turbatores, ut Ecclesiæ autoritatem everterent ad nihilumque redigerent, invexerunt. At populus hic docendus est, sanctorum Patrum regulam sequi; qui diligenter admonent, Traditiones Ecclesiasticas, præsertim quæ fidei non officiant, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt. Sunt autem illa, quæ, non scripta, sed tradita custodimus, non unius generis; quemadmodum divus Augustinus tradit. Alia enim toto terrarum orbe observantur à Patribus, nobis quasi per manus tradita. Quæ quidem putan-

da sunt vel ab ipsis Apostolis, vel ex plenariis conciliis (quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas) commendata atque statuta retineri, veluti quod Passio, & Resurrectio, & Ascensio in cælum, adventus Spiritus sancti, & Quadagesima, annua solemnitate celebrantur, quod die Veneris à carnibus abstinetur; atque alia multa, quæ ab universis merito observantur. Alia verò, quæ per loca terrarum regionesque variantur; sicut est, quod alii jejulant diem Mercurii, alii non; alii quotidie communicant Corpori & Sanguini Domini, alii certis diebus accipiunt; & si quid aliud hujusmodi animadverti potest; totum hoc genus rerum liberas habet observationes. quod enim neque contra fidem Catholicam, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum. Sic divus Ambro-

Aug. ad Januarium. c. 12. dist.